To
Henry Blackstone Esq
with Dr Vaughan's com

ORATIO

IN

THEATRO

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS,

EX

HARVEII INSTITUTO,

HABITA

DIE OCTOB. XVIII, AN. M.DCCC,

AB

HENRICO VAUGHAN, M. D.

MEDICO REGIO EXTRAORDINARIO.

LONDINI:

TYPIS T. BENSLEY, BOLT COURT,

VENEUNT APUD J. WHITE, FLEET STREET.

M.DCCC.

SPECTATISSIMO VIRO

THOMÆ GISBORNE, M. D.

PRÆSIDI,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS,

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS,

HANC ORATIONEM,

IPSORUM HORTATU IN PUBLICUM EMISSAM,

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA,

D. D.

HENRICUS VAUGHAN.

ORATIO HARVEIANA.

Vestrûm omnium, Præses dignissime, Sociique ornatissimi, neminem esse crediderim qui, ingeniis studiisque hominum cognitis ritè et perspectis, non statìm intelligat, et pro comperto habeat mancam et imperfectam prorsùs esse medicinæ artem sine literis et philosophiâ. Atque hoc, arbitror, hisce præsertìm temporibus, iterùm atque iterùm nobis in mentem revocandum esse, quandò Plebeii Philosophi hanc quoque artium nobiliorum principem a doctrinâ severiori segregari posse opinantur, et nihil aliud postulare nisi experientiam (quod aiunt) promptique animi acumen. Verùm enimvèro hæc ipsa experientia, hæc ipsa in rebus operosis animi promptitudo, utrùm in triviis quærenda sunt deniquè, et nullo ferè labore, nullisque disciplinis comparanda? Magno olìm certamine Tyrones nostri ad prima medicinæ limina pervenerunt.

Disciplinis veteribus instructi, in libris versati, atque hominum in omni ferè literarum genere eruditorum sermonibus locupletati tum demùm hanc artem suam exercere cæperunt, quando alias propè omnes prælibâssent. Hinc factum est ut quæ posteà ex usu didicerant, aut quæ fors illis objecerat, hæc omnia arti medicinali tam præsidio essent quam ornamento; hinc factum est quoque, ut splendidum et ampliorem cursum adimplere viderentur—neque ægrotantium solùm lectis adsiderent, sed quando otium dabatur, cum optimatibus reipublicæ amicitiarum necessitudinem, vitæque quotidianæ commercium haberent. Absit, obsecro, absit a nobis longè longèque levis ista sive arrogantia, sive petulantia vocanda sit, quæ antiquam hanc laudem nostram ullâ aliâ nisi antiquâ ratione obtineri posse credit aut conservari—Quod verò ne fiat, prohibet, ni fallor, et rei ipsius intima cognitio, atque eorum saltem memoria, qui suis ostenderunt quam pulchra esset atque honesta medicinæ cum literis et philosophiâ conjunctio.

Etenìm, quod ad literas humaniores attinet, si

rectè scribendi sapere est et principium et fons;—si rectè sapiendi, hominum ingenia mores pernoscere; si rectè loquendi deniquè, quid sit facundum, quid acre, quid venustum scire, id omne non excipit modò Medicina, verum etiàm arripit atque amplexatur—Quidni enìm? An qui humanam mentem tam variam tamque multiplicem, omni simulatione paritèr àc dissimulatione ademptâ, miramque istam corporis atque animæ necessitudinem videt indies et contemplatur; qui affectuum vim atque imperium, ægrotantium metus, adsidentium sollicitudinem præsens contuetur, non ille convenientia scit cuique tribuere? An cui dolentibus vultu, vocibus, ac consilio, subvenire curæ est, illum vel facundia scribentem deseret, vel venustates?

Quod si Philosophiæ, sanæ istius àc legitimæ, rationem habeas, quæ neque opinionibus hominum, neque verbis tantummodò commentisque continetur, sed in naturâ ipsâ, ac rerum cognitione versatur, quantum ad hoc possumus quis non videt? Num mundi hujus universitatem velis, rerumque materiem explorando

cognoscere? Nihil certè omnium vel ad temperiem, vel ad leges naturæ explicandas magis idoneum esse potest quam mira illa ac miranda humani corporis fabricatio. Num animam humanam pervestiges? Corporis, priùs, formam, vires, motus pernovîsse curæ erit. Num officia hominum ac mores velis intelligere? Nihil certè ad hanc rem ritè percipiendam homine ipso vel priùs vel antiquius est.

Fuerunt itàque e familiâ nostrâ, (quid enìm aut in antiquorum, aut in exterorum retrò eam memoriam?) qui literas humaniores, omnigenamque doctrinam, et felicitèr excoluerunt, et ornaverunt maxumè. Testor LINACRUM nostrum, qui cum in eâ tempestate præcipuè versaretur quâ crassa præcedentium sæculorum barbaries, renascentibus in Europâ literis, cæperat paulatìm exolescere, antiquam in hâc Insulâ disciplinam instauravit, Græcarumque literarum fontes obseratos et interclusos aperuit iterùm et patefecit. Ipse, enìm, cùm animum suum utilissimarum ac gravissimarum rerum studiis instruxisset; philosophiamque (qualiscunque ea demùm fuerat) quam Oxoniæ

acceperat, omnibus elegantioris doctrinæ venustatibus apud Italos expoliverat, arctissimam inter medicinam ac literas cognationem interesse vidit, artemque rudem plus satìs atque deformem humanitatis præsidiis excoluit et illustravit. Igitùr neque Grammaticam docuisse a consilio suo alienum arbitratus est, neque Græcos vertisse ingenii sui optimi indignum, dummodò cives suos ad discendum excitaret, dummodò medicinam tolleret humo et erigeret, dummodò medicis daret scientiam et dignitatem.

Cum autèm intellexerat probè vir prudentissimus Florentiæ hospes quantum commune societatis vinculum, quantum hominum eandem artem exercentium ad literarum cultum conjuncta possent consilia, in patriam redux quotquot aut ingenio et eruditione ornatiores, aut arte suâ peritiores invenire potuit, in unum gregem et quasi familiam convocavit, eoque favore ac gratiâ usus, quâ apud WOLSEIUM (munificum illum universæ literaturæ patronum) pollebat, jure ac legibus consociavit, atque auctoritate regiâ communivit. Curâ ejus et sapientiâ Civitas hæc nos-

tra et loco et institutis confirmata est—ab eo cautum est, quod certè cavendum erat maxumè, ne temerè quis et otiosè fieret Medicus—ab eo cautum est porrò ne ægrotantibus postea conflìctandum esset non modò cum morbis et doloribus, sed cum perniciosissimis quoque circulatorum fraudibus, et insciorum hominum audaciâ.

Quod felix autem faustumque fuit novæ reipublicæ, Linacro jam mortuo, non defuit alter maximis naturæ præsidiis munitus, æquâ in vos benevolentiâ, quì et dignitati vestræ prospiceret, et literas jam renatas indiesque novis adauctas incrementis, pari studio aleret atque foveret. Caium quippe impulit eadem mens iisdem disciplinis exculta Linacri votis obsecundare sedulò, necessitudinemque inter medicinam ac literas auspicatò jam institutam strenuò confirmare. Linacri itaque vestigia per Italiæ Academias secutus uberiores ibì Græcæ literaturæ fructus comportavit; et, quod sua præcipuè est laus, Anatomiam Florentiæ felicitèr elaboratam primus in hanc regionem invexit, et docendo exposuit.

Parum autem Caio actum fuisse visum est quod Anatomiæ primus apud nostrates incubuerat, quod Galenum Celsumque aptis commentariis illustraverat, nisi etiam Cantabrigiæ suæ perpetuum fundaret literarum domicilium—ex quo quanta virorum excellentium copia profluxerit, et indies profluit, aliis argumento esse debet gratulationis et gloriæ—Nos Caii votis cumulatissimè responsum fuisse scimus, quòd in istâ suâ domo prima labra scientiæ admoverit Harveius; quod intra istos suos parietes magnus ille vir mentis vires exercuerit et confirmaverit, et ad universam veritatis formam amplectendam erexerit.

A studio igitur umbratili, scholarumque disciplinis evocatus in solem atque pulverem Harveius ad investigationem naturæ totum se contulit—prudentissimèque decretum habens nihil in rebus Anatomicis opinari, nec quidquam verum credere, nisi quod aut sensu percipi, aut ex certis experimentis deduci atque colligi posset, tandem aliquando circuitum sanguinis, præclarissimum illud repertum, explicuit demonstrando, totamque hominis fabricationem oculis subjecit.

Quantos ex hoc admirabili invento fructus perceperit res medica, etsì gratissimum esset prædicare, coràm vobis tamen hodiè, minùs insistendum censeo argumenti dignitate quam rationum vi, et philosophandi methodo. In eâ, enìm, quod HARVEIUS ab experimentis optimo consilio institutis, et ab observationibus ad naturam veritatemque factis, deductione facili, tandem judicium tulerit et sententiam proposuerit; in eâ, inquam, quid nisi Verulamii argumentandi rationem præoccupatam conspicimus et præmonitam? quid nisi doctrinam illam, quam Posteri perfectam prorsùs, atque omnibus numeris absolutam esse decreverunt, exemplo comprobatam?

Atque equidem quam omni ex parte necessarium fuerit novam in Physicis ratiocinandi disciplinam instituisse, saniore mque de rerum veritate judicandi facultatem exercere, argumentum est instar omnium invidia quâ HARVEII laboribus undèquaque obtrectatum fuit. Medici quippe eo tempore in antiquorum scriptis evolvendis omnino intenti, nihil aut ad usum accomodatum aut etiàm fide dignum existimabant nisi

quod ex Galeni libris expromendum esset—Cum verò de veritate inventi Harveiani nihil ommino dubitari posset, et sequentis ævi industriâ cordis, viscerumque, et cerebri structura penitiùs explorata esset, eandem demùm philosophandi normam quâ in explicando corpore humano Harveius erat usus, in morbis examinandis adhibuit Sydenhamus. Observationes igitur sapientis illius medici non ex opinionum commentis confictæ sunt, non ex ineptiis scholarum conflatæ, sed ex ipso naturæ fonte derivatæ—Quoties, autèm, ægrotantium res in medium proferre illi libuit, morborumque cursus describere, adeò sincerè omnia, adeò exquisitè aute oculos posuit, ut ipsi languentibus interesse atque assidere, ipsi fovere deficientes, ipsi remedia præcipere videamur.

Sydenhami vestigiis institit Joannes Friend, philosophus si quis alius, idemque egregiè, et præter cæteros literis imbutus. Huic viro laudi fuit illam attractionis vim quam in grandiore corporum cœlestium mole perspexerat Newtonus, summo cum judicio rebus Chemicis accomodâsse, et quicquid in theo-

riâ perplexum olìm erat et obscurum legibus Newtonianis simplicissimè expediisse. Tantam intereà habuit doctrinæ varietatem atque copiam, ut earum disciplinarum, quæ, (ut cum Celso loquar) "quamvis non faciunt medicum, aptiorem tamen medicinæ reddunt," nullam non juvenis adhùc excoluisset et illustrasset—quas autem in medicinæ exercitatione maturior ætas et artis usus comprobaverat, eas omnes palàm fecit Hippocratica fide et elegantiâ.—At neque in sylvis Academî solùm philosophiæ studiis incubuit, at nequè in otio et tranquillitate quicquid apud Græcos opinionum discrepantiis involutum fuerat, quicquid apud Arabas obscurum aut latiùs diffusum enodavit ille et explicuit, sed in maximis temporum angustiis, sed in asperitatibus rerum obsecutus est studiis suis, et, quæ secundas res ornaverant, literæ adversis perfugium et solatium præbuêre.

Et profectò in Medicinæ atque Scientiæ damnum cessisset Medici omni laude cumulati mors immatura, nisi consiliorum Socio, eandem gloriæ viam prementi contigisset indoles in medicinam apprimè apta et con-

formata, acerrima studia, maximus usus. MEADIUS equidem natus fuisse videtur in universæ doctrinæ emolumentum. Tanta illi fuit medendi peritia, tantus vitæ splendor et celebritas famæ, ut exterorum paritèr atque suorum civium omnium oculos in se converteret, et quicunque vel scientiam vel sanitatem quærebant, ad illum universi confugerent, in illo spes omnes reponerent. Videre videor sapientem senem doctissimorum hospitum frequentiâ circumfusum, de maximis et gravissimis quæstionibus pulchrè disserentem, et velutì Platonem in Gymnasio conferendo docentem. Nimirùm ille, Socii, artis vestræ splendorem adauxit magnoperè et amplificavit, et dignitatis patrimonium reliquit, et exemplar vitæ morumque dignum maxumè quod vos ipsi moribus vestris exprimatis.

Jàm verò naturali quodam Orationis cursu ad nostra ferè tempora pervenimus; tempora, profectò, quæ, utcunque aliis ex partibus, iniquitatibus rerum atque hominùm ineptiis satìs, et plusquàm satìs, laborare videantur, Medicinæ tamen simplici isti atque legitimæ veteris dignitatis nihil imminuerunt. Habuimus

certè vel nostris oculis obversatos, immò habemus etiamnùm, de quibus, sivè ingenii acumen, sive literarum copiam intueamur, summo jure gloriari possumus. Etenìm, ut ad eum me convertam quem intra triennium desideravimus, ecquis erat unquam scientiâ morborum locupletatus magìs, vel magìs curatione exercitatus; ecquis erat unquam quì suavi illâ sermonis et morum humanitate, quæ in ipso remediorum loco haberi potest, ecquis erat unquam qui Warrenum superabat? Erat illi ingenii vis maxuma, perceptio et comprehensio celerrima, judicium acre, memoria perceptorum tenacissima. Meministis, Socii, quam subtilitèr, et uno quasi intuitu res omnes ægrotantium perspiceret penitùs et intelligeret! in interrogando quam aptus esset et opportunus, quam promptus in expediendo! Omnia etenìm artis subsidia statìm illi in mentem veniebant, et nihil ei novum, nihil inauditum videbatur.—In eâ autèm facultate quâ consolamur afflictos et deducimus perterritos a timore, quâ languidos incitamus, et erigimus depressos, omnium Medicorum facilè princeps fuit; et si qui medicamentis

non cessissent dolores, permulcebat eos et consopiebat hortationibus et alloquio.

. . . . stetit urna paulùm
Sicca, dum grato Danaï puellas
Carmine mulcet. Hor.

Verùm ea est quodammodo artis nostræ conditio, ut Medicus quamvis sit eruditus, quamvis sit acer et acutus in cogitando, quamvis sit ad præcipiendum expeditus, si fuerit idem in moribus ac voluntatibus civium suorum hospes, parùm ei proderit oleum operamque inter calamos et scrinia consumpsisse. Warrenus autèm in omni vitæ et studiorum decursu, si quis unquam alius, Pallade dextrâ usus est, atque omnium quibuscum rem agebat mentes sensusque gustavit; et quid sentirent, quid vellent, quid opinarentur, quid expectarent arripuit, percepit, novit. Tantam denique morum comitatem et facilitatem habuit, ut nemo eo semèl usus esset Medico, quin socium voluerit et amicum.

Atque hìc loci, pro more mihi liceret Orationi hodiernæ finem facere; quandò verò unde initia cæperim in

memoriam revoco; quando non modò honestam illam mecum reputo, sed necessariam ferè medicinæ cum literis et philosophiâ conjunctionem, nequeo Illustrissimum Virum prætermittere, qui vivo exemplari suo ad majora nos provocat atque incendit. Vidistis eum nuperrimè summum apud vos magistratum summâ cum laude tenentem; et dum eo munere fungebatur, novistis Pharmacopœiæ renovandæ quam totum se dederit.—Audivistis eum, hâc ipsâ ex cathedrâ, incorruptâ Romanæ dictionis sanitate, et eloquentiâ Ciceronianæ ætatis non indignâ nostrorum Medicorum æterna statuere monumenta. Scripta ejus in manibus atque in deliciis habetis, quæ sivè rei propositæ explicationem, et, quæ vera dicitur, Philosophiam spectes, sive verborum pondera et venustates, inter pulcherrima collocanda sunt, ne dicam Medicinæ solùm, sed universæ eruditionis ornamenta. Inter alià testari licet libellum egregiè scriptum de Catarrho et Dysenteriâ, morbis ejusdem anni epidemicis—et etiàm Dissertationes* illas de Colicâ Pictonicâ—in quibus

* Vide Acta Coll. Medic.

singularis morbi historia ab omni ferè antiquitate ad hæc usque tempora deducitur, et ejus causa non nìsi simplex et una esse monstratur. At mitto plura, et mori Antiquorum obsequor, qui non nisi Solis occasu Heroibus suis sacra faciebant.

Cum autem de virtute nondum ex oculis sublatâ apud nos agitur, ecquis est, Auditores, cui non mentem statìm subeat Vir ille egregius, multisque nominibus colendus, qui spatio vitæ ultrà communem vivendi conditionem protracto, et æqualibus fere superstes nec ingenio suo acri et acuto, nec subtili judicio, nec rerum memoriæ, nec amori literarum, nec denique pietati in hanc domum etiamnùm superfuit?—Ille, nimirùm, cui artem exercenti Medicorum gens adsurgebat omnis—quem omnes in antiquâ literaturâ versati inprimis habent—quem Physici agnoscunt suum. Talem virum et vivere, et valere, et nostrum esse nobismet gratulari licet. Quid memorem *Acta Collegii Medicorum* (nescio quo malo fato intermissa) ipso auctore primùm instituta esse, ipso duce incepta? Aut quid collaudem aureas istas observationes, non

aliundè quam ex naturâ et experimento haustas, quas ille in paginas istas, tanquam in commune medicinæ ærarium conjecit? Sed me reprimo, ne rei captus dulcedine, in areâ tam late patenti nimis ultrà terminum excurram.

Valeas! itaque fortunate Senex, otioque literato, et doctorum hominum colloquiis, et vitæ tuæ anteactæ recordatione diù perfruaris! insigne Medicis exemplum relicturus, amplam dicendi materiem Oratori.

Deficeret verò priùs patientia vestra quam hodierna Oratio, si in latiori campo spatiari vellem, eosque singillatìm complecti qui merendo vos memores sui fecerunt; qui ad artem medicam, quâ egregiè præstabant, literas eas omnes reconditiores, et ea humanitatis studia adjunxerunt, quæ hominem ingenuum ornare possunt, quibus denique acceptum referendum est quòd salutaris hæc Professio, quæ apud exteros vix homine liberali digna habetur, in Angliâ nondùm eviluerit. Populare arbitrium in famam et fortunas Medicorum dominatum esse, et favorem publicum indignis non raró contigisse jàm olìm questus est Hip-

POCRATES; eidem artis conditioni apud suos indoluit GALENUS. Profectò, Socii ornatissimi, si isti Patres medicinæ in vivis forent, hæc nostra tempora ab antiquis non prorsùs discrepare agnoscerent ultrò et testarentur—neque enìm quemquam vestrûm latet homunciones quosdam nec doctos nec eductos libère, etiam illotis manibus, medicinæ altaria tangere ausos esse, et stupore vulgi factos nobiles, rapido cursu pervenisse ad gratiam, ad famam, ad amplitudinem. Ità inauspicatò fit, ut ingenio ritè nutrito, multiplici rerum cognitione, probitate, et modestiâ priorem aliquando sedem teneant frons perfricta, sedulitas, obsequium, assentatio.—Sed de his mentem avertere liceat, et reipublicæ LINACRI laudare fortunas, quæ civibus jam nunc abundet quales ipse sibi successores voluisset—Vos pergite in istâ quam instituistis viâ; pergite artem vestràm diligentiâ excolere, tueri auctoritate, ornare moribus—nec satìs sit vobis hæreditatem a majoribus acceptam posteris integram et incontaminatam tradere, nisi et detis operam ut per vos ipsos locupletentur Posteri.

Oro, denique, vos et obtestor, ut fixum animo et quasi insculptum habeatis medicinam liberalem unà cum literis renatam esse, nec nisi cum literis interituram.

FINIS.

LONDINI:
Typis T. Bensley, Bolt Court, Fleet Street.